



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 359. An & qualiter locator teneatur manifestere conductori vitia rei conducenæ occulta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

contribut. c. II. num. 177. de ratione tamen coloni partiarum decimarum de utraque coloni & domini portione sunt praestanda; & sic, antequam fructus inter illos dividantur, solvenda. Lauterb. *cit.* §. 101. *citatis c. 26. de decim.* Caroc. *ubi ante. num. 9.* &c. Circa metata (Einquartierungen Durchmarschen) eorum sumptus, seclula conventionione & consuetudine, si sint mediocres, ad conductorem spectant, si graviore, inter hunc & locatorem dividendi. Muller. *loc. cit.* Lit. β. cum Mevio. si leviores, id est, nuda hospitatio & domus praebitio, ferre eos debet conductor. l. 2. *C. de metat. & epidem.* Franzk. *h. t. num. 173. & seq.* Tabor. *ad cit. tit. Cod. p. 2. c. 3. num. 19.* Carpz. *p. 2. c. 37. def. 13.* Muller. *loc. cit.* distinguunt tamen alii, ita ut, si metata sint temporaria ad unum alterumve diem in transitu exercitus concessa, spectet ad conductorem; cum nuda hospitatio sit onus domus & habitantium servitus fumantibus imposita, ut Gothefred. *in l. si quis. C. de metat. & epidem.* Bartol. *in l. rescripto. §. sciendum. ff. de muner. & honor.* idque, etiamsi praeter hospitacionem non nihil sumptuum faciendum à conductore, qui hoc damnum tanquam infortunium aequo animo ferre debet per l. 15. & 25. *h. t. & ibi Brunnem. & Franzk.* Muller. *LL. cit.* ubi vero metata sunt diuturna ordinata ratione distributa, nimirum dum stativa aliquem tractum temporis habent, etsi hospitacionis onus communiter AA. adscribant locatori, subdistingendum tamen hoc ipsum censent alii, ita ut nudam hospitacionem praestare teneatur conductor solus, modò is per eam non impediatur plane in habitacione; sumptus verò metatorios locator quam sententiam tanquam aequiorem tenent apud Muller. *loc. cit.* Franzk. *loc. cit. num. 174.* Tabor. *de metat. num. 2. c. 3. ib. 19.* Carpz. *p. 2. c. 37. d. 15.* quamvis circa dictos sumptus aliter censent Mev. ut videre est apud Muller. qui mediam viam se inire dicit cum Carpz. *loc. cit. num. 3.* ita ut discrimen faciendum inter locacionem factam tempore pacis & factam tempore belli: & in priori casu sumptus ex superveniente bello hospitacionis nomine factos conductor à locatore repetere possit. l. 9. *C. de metat. & epid. l. hi penes. C. de agricol. & cens.* eò quòd horum sumptuum distributio non respiciat conductoris personam, sed ipsam domum, quam is inhabitat; adeoque ejus dominus tanquam verus possessior, non detentator seu conductor hoc onere gravandus. in posteriore casu praescindendo à speciali conventionione desuper, si adhuc re conducta conductor frui potest, & sumptus faciendi sint modici, non repetuntur à locatore; cum conductor statum illum, qui tempore conductionis fuit, non ignorans, censetur hunc casum in se recepisse. Arg. *c. qui bona. §. 6. ff. de damn. infest.* citatque pro hoc Muller. Gail. *l. 2. obs. 23. num. 21.* Roland. à Valle. *vol. 1. conf. 9. num. 25.* Fabr. *in Cod. l. 4. tit. 4. def. 30.* Carpz. *l. c. & alios.*

Quest. 359. An & qualiter locator teneatur manifestare vitia rei conducendae occulta conductori?

R Esp. sicut ferè supra dictum de venditione, tenetur ea illi manifestare, ita ut si ex vitio non manifestato sequatur damnum, aut res minus utilis evadat, teneatur ad restitutionem mercedis acceptae (quod videtur intelligendum pro rata utilitatis deficientis, dum res non redditur per hoc

omnino inutilis) & damni reparacionem & interesse. l. 19. *ff. h. t. juncta l. tenetur. §. sed si vas. ff. de act. empti.* Nav. *in man. c. 17. num. 196.* Sylv. *v. locatio q. 18.* Molin. *d. 494.* cum communi. Exemplificatur hoc ipsum in *cit. l. 19. §. 1.* in eo, qui sciens locavit palca, in quibus herba nociva Ab aliis in eo, qui alteri locavit equum assectum se in aquas dimittere; hic enim tenetur merces ex inde perditas aliaque damna inde secuta reparare, si conductorem desuper non monuerit. Si tamen locator ipse vitium ignoravit, tenetur ad solum pretium, & non ad interesse. *cit. l. 19. juncta l. 15. 33. & 34. ff. h. t.* Molin. *loc. cit.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 7. p. 3. num. 3.* nisi tamen rem locatam carere vitio expresse affirmavit, & pro tali locavit, tunc etiam ignorans tenetur conductori ad omnia damna ex tali occulto vitio secuta. *l. tenetur. §. sed si vas. ff. de act. empti.* Molin. *loc. cit. num. 5.* cum communi. Quòd autem ad eadem teneatur locator, etiam dum bona fide ignorans dolium aliudve vas vitiosum locavit, est ex speciali dispositione *cit. l. 19.* juxta dicta supra praesumentis in locacione doliorum vitiosorum adesse ignorantiam culpabilem; cum attendere debeat, qualia vasa (utpote in quibus frequenter vitium latere solet) elocet, quam tamen hujus legis praesumptionem culpa ignorancia, dum haec revera abest, non procedere in foro interno, cum Molin. Bonac. & ut ait cum communi, affirmat Reiffenst. *h. t. n. 36.*

Quest. 360. Qualiter conductor re locata uti debeat?

R Esp. primò in genere: debet uti re locata ut bonum patremfamilias decet. Struv. *in ff. h. t. ib. 14.* alias tenebitur ad interesse & omne damnum praestandum locatori. Sic qui equum conduxit ad vecturam, & justo plus onerat, ut deterior reddatur, tenetur. *l. aquila, & interdum etiam ex locato, si ultra conventum pondus eum onerat. l. 27. §. 23. ff. ad leg. Aquil. §. 1. 30. §. 2. ff. locati & ibi Bartol. Muller. ad Struv. loc. cit. Lit. v.* idem est de eo, qui equum flagris & fustibus cedit, aut insolita agitatione debilitat, cum equus conductus debito modo regendus juxta *l. 1. C. de cursib. publ.* ac proinde tenetur ad solutionem equi & damni aestimationem. Perez *in Cod. tit. ne quid oner. publ. impon. n. ult.* Muller. *loc. cit.*

2. Resp. secundò: conductor tenetur re locata uti non ad alium usum, quam super quo in locacione conventum. *l. jumenta ff. de furt. & si sine rationabiliter praesumpto domini consensu citatur re aliter; v. g. equo conducto ad equitandum ad vehendum, & conducto ad iter Viennense utatur ad iter Romanum, tenetur ex locato.* Bonac. *de contract. d. 3. q. 7. p. 3.* Muller. *loc. cit.* vel etiam, si equus locatus eo pacto, ut non nisi octo milliaria de die perageret, & peractis 12. deterioratus vel mortuus est. De Lugo. *de f. & 7. d. 29. num. 65.*

Quest. 361. Ex qua culpa teneatur conductor, dum res locata apud illum perit aut deterioratur, aut etiam, ad casus fortuitos citra culpam suam eventientes?

R Esp. primò: tenetur ad omne damnum reparacionem quod ejus dolo vel culpa lata vel

levi